

*Nuntiate fratribus meis ut eant in Galilæam
et ibi me videbunt.*

✠ Lécitio sancti Evangélii secúndum Matthæum 28, 8-15

In illo témpore:

⁸ Exeúntes cito mulieres de monuménto
cum timóre et magno gáudio
cucurrérunt nuntiáre discíplis eius.

⁹ Et ecce Iesus occúrrit illis dicens: «Avéte». Illæ autem accessérunt et tenuérunt pedes eius et adoravérunt eum.

¹⁰ Tunc ait illis Iesus:
«Nolíte timére;
ite, nuntiáte frátribus meis, ut eant in Galilæam
et ibi me vidébunt».

¹¹ Quæ cum abiissent,
ecce quidam de custódia venérunt in civitátem
et nuntiavérunt princípibus sacerdotum
ómnia, quæ facta fúerant.

¹² Et congregáti cum senióribus,
consílio accépto,
pecúniam copiósam dedérunt milítibus ¹³ dicéntes:
«Dícite:
“Discípuli eius nocte venérunt et furáti sunt eum,
nobis dormiéntibus”.

¹⁴ Et si hoc audítum fúerit a præside,
nos suadébitus ei
et secúros vos faciémus».

¹⁵ At illi, accépta pecúnia,
fecérunt, sicut erant docti.
Et divulgátum est verbum istud apud Iudæos
usque in hodiérnum diem. — Verbum Dómini.